Acad. Alb. Regim. 1865. II.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GUILIELMO

HEREDE MONARCHIAE

ACADEMIAE ALBERTINAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER AETATEM

ANNI MDCCCLXV. A. D. XXIV. APRILIS

P. P. O.

INSTITUENDARUM.



Praefatus est L. Friedlaender de temporibus librorum Martialis X et XI.

Regimonti Pr.

Typis Academicis Dalkowskianis.

MDCCCLXV.

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

D^R. LUD. FRIEDLAENDER.

In definiendis temporibus librorum Martialis X et XI diu incertus haesi, donec intellexi, librum undecimum prius publicatum esse quam alteram libri decimi editionem, quae sola ad nos pervenit. Priorem enim libri X editionem ante mortem Domitiani (XIV Kal. Octobr.), fortasse anno 96 ineunte emisisse videtur poeta; liber XI Saturnalibus ejusdem anni prodiit. Anno 98 vel potius 99 Martialis consilium cepit in patriam redeundi; antequam autem Urbem reliquit, festinatam illam decimi curam libelli (X 2, 1) retractavit. Nimirum vix potest dubitari quin hic libellus multa continuerit, quae Domitiano imperante maximo plausu excepta erant, sed mutato imperio displicebant et lectorum indignationem movebant. Ejusmodi igitur epigrammata suppressisse poetam, lacunas libelli novis explevisse, maximam fortasse partem immutatam retinuisse putabimus.

Librum XI non diu post mortem Domitiani prodiisse, epigr. 7 vel solum demonstrare potest, quo libido Domitiani cum Nervae castitate comparatur; Saturnalibus prodiisse, testantur 2 et 6.

Etiam c. 33 primis novi imperii temporibus scriptum esse videtur, quo prasina factio post fata Neronis etiam plures victorias quam antea referre dicitur: falsas igitur invidorum criminationes esse, qui prasinos palmas suas iniquo Neronis favori debere clamitaverint. Nam quin sub Nerone Domitianus intellegendus sit, quem Juvenalis. IV 38 calvum Neronem appellavit, non dubito. Carmine 4, 5 autem quum tertius Nervae consulatus commemoretur, qui incidit in a. 97:

> Et qui purpureis jam tertia nomina fastis
> Jane refers Nervae —

primum ad hujus anni Saturnalia hunc librum pertinere arbitratus sum. Sed quum Parthenius, ad quem scriptus est, a. 97 trucidatus sit, Martialem l. l. de consulatu proxime instante imperatoris loqui statuemus. Quod si verum est, Saturnalia illa in carm. 2, 6, 15 significata ad a. 96 referenda sunt:

> Clamant ecce mei „bona Saturnalia“ versus
> Et licet et sub te praeside Nerva libet.

Alia temporum indicia in hoc libro non inveni. Nam quo anno Memor frondem Jovis acceperit i. e. in agone Capitolino coronatus sit (9) nescimus; nec inde quidquam lucrifacimus, quod Paris jam a Domitiano trucidatus lugetur (1), Silius, qui a. 100 mortuus esse creditur (Plin. III 7 Masson de vit. Plin. p. 111) ut vivus commemoratur (48). Ceterum etiam hic liber bis editus est, nam XII 2 longior undecimi decimique libelli artatus labor esse dicitur; utram editionem nos habeamus, incertum est.

Libri decimi editionem secundam eo tempore prodiisse quo Trajani reditus e Germania aut proxime instabat aut certe exspectabatur, apparet ex c. 6 et 7: i. e. inter Oct. vel Nov. 97 quo Trajanus adoptatus est et finem a. 99 quo Romam intravit. Nam epigrammata 1 — 7 in exordio libri posita etiam hic ut alibi pro novissimis habenda esse arbitror. His etiam adnumerandum est c. 34 de edicto Trajani, quo vetuit ne clientes et liberti patronos accusarent (Plin. paneg. c. 42); quod Bachius (D. Trajan. s. de legg. Traj. Imp. Lips. 1747 p. 73) sine caussa a. p. C. 100 tribuit. Hoc igitur Trajanum antequam Romam rediret, edixisse putabimus. Contra 71, ubi novum principem non jam dominum regemque appellandum esse dicit, non de Trajano cogitandum esse patet, sed de Nerva, qui a. d. XVI K. Febr. 98 obiit. Capitolinus (101) utrum in aula Nervae an Trajani scurra Palatinus fuerit, incertum est. Etiam ea epigrammata, in quibus poeta consilium in patriam redeundi identidem commemorat, imprimis ea quibus librum conclusit (20. 37. 96. 103. 104) in altera demum editione adjecta esse verisimile est.

Quod de Scorpo agitatore circensi sub Domitiano celeberrimo (v. Fabretti Inscr. 273) 74, 5 ut de vivo sermo est, cujus mors praematura lugetur 50 et 53: id quoque duplici hujus libri editione facile explicatur. Quae elogia si cum XI 1 comparamus, ubi porticum Quirini fabulis de Scorpo et Incitato strepentem describit poeta: sententiam de editione libri XI supra prolatam optime confirmari apparet. Ceterum quum in progr. acad. Alb. 1864 I. p. 5 dixi in hoc libro epigrammata videri eo ordine posita esse quo scripta sint, (nam 24. Martiis Kalendis scriptum est, 51 Aprili, 62 (et 58) Julio, 87 Kalendis Octobribus): fugit me 41:

> Mense novo Jani veterem, Proculeja, maritum
> Deseris atque jubes res sibi habere novas etc.

quod mense Januario scriptum esse putaverim.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

1. *Professorum ordinariorum.*

HENR. GUIL. ERBKAM, theol. Dr., P. P. O. tertius, Decanus.
I. Publ. Patristicen binis diebus h. IV. d. Martis et Ven. docebit.
II. Privat. 1) Encyclopaediam et methodologiam disciplinarum theologicarum quater p. h. tradet h. X.
2) Ethicen christianam docebit quinquies h. IX.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem historicam die Lunae h. VI et VII.
FRIDER. LUDOV. SIEFFERT, phil. et theol. Dr., P. P. O. primarius, Facult. Theol. Senior.
I. Publ. De ecclesiarum evangelicarum unione semel die Saturni h. IX disseret.
II. Privat. Theologiae dogmaticae partem priorem tradet quinis p. hebd. diebus h. IX.
JO. GEORGIUS SOMMER, theol. Dr., P. P. O. secundus.
I. Publ. Introductionem in libros apocryphos N. T. tradet bis h. VII d. Mercur. et Saturni.
II. Privat. 1) Librum Jobi quinquies h. VIII interpretabitur.
2) Antiquitates sacras V. T. docebit ter vel quater p. hebd. hor. VII.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam V. T. d. Veneris h. V et VI dirigere perget.
CAROL. JOANN. COSACK, Theol. Dr., P. P. O. quartus.
I. Publ. Epistolas Joanneas interpretabitur bis p. hebd. h. IV. dd. Martis et Veneris.
II. Privat. Theologiam pastoralem una cum doctrina de regimine ecclesiae tradet quinis diebus h. VIII.
III. Privatissime et gratis. Seminarii catechetico-homiletici exercitationes moderari perget d. Mercurii h. VI.
HENRICUS VOIGT, theol. Dr. P. P. O. quintus des.
I. Publ. Historiam doctrinae de persona Christi inde ab initio rationalismi usque ad nostram aetatem tradet dd. Lunae et Jovis h. h. IV.
II. Privat. 1) Historiae dogmatum partem priorem enarrabit quinquies h. X.
2) Epistolam Pauli ad Romanos datam interpretabitur quinquies h. XI.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam N. T. moderabitur d. Martis h. V et VI.

2. *Professorum extraordinariorum.*

LUD. AUG. SIMSON, phil. et theol. Dr., P. P. E. design.
I. Publ. Carmina in libris historicis obvia explicabit bis p. hebd. hh. cc.
II. Privat. Librum Geneseos interpretabitur quinquies h. VIII.